Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 467

Quelle:
Copyright:

ro *Theodoric. Engelhuſius* in *Chronico* T. II. *Scriptor. Brunſvic. Leibnit.* p. 1121. ſub tempora *Rudolphi* I. Imp. ſcribit: *Hoc tempore floret Bambergæ Poeta modernior dictus Hugo, qui omnes Poetas in unum redegit, ſub pulchra proſa tempus et materiam ipſorum pertractans*, cujus Hiſtoriae Poetarum etiam clauſulam ſubdit:

Mille ſimul cum ducentis annis copulatis
Octoginta ſimul præſens fit arte regiſtrum.

Nec ea contentus binum quoque ex illa depromit ſpecimen pagg. 1107. et 1110. quorum prius incipit:

Scriptura ſacra continet proſaycos ſcriptores
Quamplures et metricos inſimul auctores
Inter quos præcipue Sedulius ponatur
Sibi quidem metrico prima ſedes datur &c.

Vides idem rhythmi genus, quo elaborata eſt Introductio ad *Lauream Sanctorum.* Si itaque *Hugo*, dum a. 1300. *Rennero* finem imponeret, jam 40. annis Scholam ſuburbanam *Bambergae* rexerat, facile intra hos annos et anno 1280. *Hiſtoriam Poetarum*, et aliis alios 10. Libellos cum medio conficere potuit, quos inter et *Lauream* noſtram, et Poema germ. *der Sammer* vel *Sammeler*, de quo in clauſula *Renneri* ipſe meminit. Reliquos octo cum medio vel interiiſſe, vel etiamnum in Bibliothecis deliteſcere credibile eſt. Vix enim auſim *Fabellas* illas, quae typis expreſſae in Bibliotheca *Guelpherbyt.* extant, et *Bambergae* a. 1461. *finitae* dicuntur, *Hugoni* tribuere. Nam licet το *finitae* nil aliud hic ſignificare poſſe, quam *deſcriptae* arbitrer, uti etiam adſtipulatur *Codex Renneri Caeſ.* qui *completus* dicitur anno 1402. aliis tamen argumentis deſtituor. Vide, quae de iis ad *Cod.* CCCLVII. notavi.

X. *fol.* 172. praefixo *Hieronymi* in Libro *de Viris Illuſtr.* teſtimonio Prophetia *Methodio* Ep. *Patarenſi* perperam adſcripta, quae *Cod.* DCXXXII. et alibi indicata eſt. Ad calcem minio: *Explicit liber Metodij martyris et epiſcopi translatus a Petro in latinum.* Quis hic *Petrus?*

XI. *fol.* 183. p. 2. *Practicacio*, ut e calce praeoccupo, *magiſtri laurentij doctoris medicine Magiſtri Domini Reynoldi ducis Gelrenſis pie memorie.* Titulus: *Anno Domini M.CCCCXXIIII. vaticinium futurum.* Carmen hexametrum 40. verſuum leoninorum:

An-